



# IGNATIO

De

## LOIOLA,

Societatis JESU Fundatori.

**L**ibellum parvulum de re-  
bus maximis, hoc est, di-  
vinis Laudibus seu Horis  
Canonicis, & Missæ Sa-  
crificio compendiosè scribentem,  
Tibi, Vir zelosissime, qui uni-  
versum terrarum Orbem ingenti  
tuo zelo complexus es, inseriben-  
dum censui: cui, teste Ecclesia,  
*inter Catholicos instaurare pieta-*  
*tem cura fuit; & à quo Sacra-*

mentorum frequentia incrementum accepere. Ex Offic. S. Ignat. Lect. VI. Tibi, inquam, Vir sanctissime, qui in utroque hoc Angelico, & divino Ministerio omnibus Ecclesie Ministris præclarissimo exemplo præluxisti: Horas namque Canonicas tam religiose & ardentem orabas; ut præ lacrymarum copia ad singula ferè verba hæere, ac preces interrompere cogereris; donec è cælo concessa tibi facultas, ad libitum fundendi lacrymas aut cohibendi. Ad hæc, ut summam erga augustissimum Missæ Sacrificium reverentiam omnes edoceres, te ultra unius anni spatium primo Sacrificio celebrando præparabas, dumque illud perageres, totus amore Dei inflammatus intus ardebas, & foris lacrymis suaviter

madebas. Imò dum aliquando inter  
 piis lacrymas orando, ad Sa-  
 crificium te parares, menti tuæ  
 occurrebat suavissima cogitatio,  
 Sacerdotem Altare acceden-  
 tem oportere esse instar Angeli  
 Dei. Et te sacrificantem verè fuisse  
 instar Angeli Seraphini rarissimus  
 eventus docuit, quando supra  
 caput tuum, dum sacram Hostiam  
 offerres ingens flamma emicare  
 visa est; *V. Nadasi in Heb. S. Ignatius  
 Fer. IV. & V.* Ita non uno sane ti-  
 tulo hic tibi Libellus debebatur.  
 Respice igitur vultu benigno exi-  
 lio munus minimi Filii tui, qui se tibi  
 veluti amantissimo in Christo Pa-  
 renti, obligatissimum profitetur;  
 & in exiguo dono, quod filiali af-  
 fectu offertur, maximum ac pa-  
 ratissimum placendi semper, &  
 serviendi animum agnosce. Imi-

are Solis amabilem benignita-  
tem, qui gramina etiam vilia suo  
nonnunquam irradiat lumine;  
aut esto de eorum numero, qui  
cum sint summi & maximi, ad in-  
fima quandoque descendunt; &  
ex his sublimitatem & altitudi-  
nem suam deprehendant. Atque  
ut eam excelsi animi tui benevo-  
lentiam, qui magna semper &  
grandia pro divina gloria & ani-  
marum salute moliebaris, infimus  
hic Libellus experiatur; unice vo-  
vet & optat

*Tibi devotissimus*

C. B. S. J.

PRÆ